



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Fasti Mariani

**Brunner, Andreas
Pfeffer, Wilhelm**

Antverpiæ, 1663

B. Ioannes Angelus Conf. 24. Octobris.

urn:nbn:de:hbz:466:1-41940

24. Octob. VITÆ SANCTORUM. 669.
funiculis teneri vellet, catenam quidem
posuit, ceterum longitudinem ejus
numquam excessit, nisi cum excedere
denique mors felix jussit. *Ex S. Greg. P.*

*Cum finis nostri dies advenit, ubi no-
bis erit quod modò cum tantâ curâ, qua-
ritur, & cum solitudine congregatur?
Non ergo honor, non divitiæ querendæ
sunt, quæ dimittuntur. illa diligamus,
quæ sine fine habebimus; illa timeamus,
quæ à reprobis sine fine tolerantur. S. Greg.
l. 6. Regist.*

B. IOANNES ANGELUS CONF.

24. Octobris.

JOANNEM ANGELUM exhibeo, vel
nomine suo debitum *Virgini*; cui
nempe si immortales illi Angeli servire
gaudent, quidni noster etiam? Atque
hoc est, quod Mediolani liberâ nobili-
que familiâ natus, annumerari tamen
Florentinæ Servis *Maria* præoptavit. I-
bi illum, ut scias quò vota sua miserit,
abiisse inter preces in aëra ajunt, multa-
que alia fecisse, quæ posteri miramur.
Sola castissimi interula innumeris paren-
tibus auxilio velut obstetrix salutaris ad-
fuit. Racemum cum è vite aliò tulisset,
& agrè alii hoc ferrent, viti suæ quàm
mox ita restituit, ut ne cicatricem è vul-
nere superstitem cerneres. Illud omnino
& scriptu & lectu jucundum, *Virginis*
ser-

670 VITÆ SANCTORUM. 25. Octob.
feruo, ANGELO inquam nostro, feliciores illos Angelos inservisse. Nam fuit, cum è morbo decumbenti incidere venam medicus constituit. Hic, absentibus omnibus aliis, adfuere è caelo ephibi gemini, caelo ipso suo formosiores, qui lumen aliave ministrarunt, & sanguinem ægri obsequiosi exceperunt. Tanti sane erat omnem omnino sanguinem prodigere. Certè tam duriter vixit *Leones*, ut præter cutem & ossa vix quidquam hominis jam haberet eò rectius *Angelus* dicendus, quò minus jam carnis illi erat. Hanc denique omnem posuit anno præter salutis MD. VI. Laudes ejus funebres (quòd puto impar his lingua esset) campanæ sponte impulsæ cecinerunt. Ex *Ferrav.*

*De dilectione Conditoris lingua, mens
& vitarequiratur. Numquam est Dei amor otiosus: operatur etenim magna; si verò operari renuit, amor non est. S. Greg. Hom. 30.*

SS. CHRYSANTHUS & DARIA MM.
25. Octobris.

CHRYSANTHUS patre natus Polemio senatorii ordinis viro, dum fortuito in manus sumit, quem Evangelii librum dicimus legitque, manus dare Christo discit, brevi lectione longè plurimum edoctus. At Polemius, ut
filium